

pro aliis non habentur, quorum jus dependet a jure legitimi contradicitoris, quo cum haec actum et adversus quem iudicatum; et sic facile æquissima ratione contingere potest, ut sententia prosit adversus tertium, vel eum, qui non quidem fuit in lite, sed tamen idem jus habet cum legitimo contradicitore. Sic enim sententia tota jus facit quoad omnes, tametsi nec litigaverint, nec ad iudicium fuerint vocati, nec scientiam litis controversæ habuerint.

(112. Res exemplis illustrior redditur. Initium sumamus a statu personarum, qui triplex est, libertatis, civitatis et familiæ. (113. De statu libertatis in l. 15, ff. *De statu homin.* habetur: « Ingenuum etiam accipere debemus eum, de quo sententia lata est, quamvis fuerit libertinus, quia res iudicata pro veritate accipitur. » Potest de ingenuitate duplici modo ferri sententia, ut probet is, qui aliquem servum esse asserit, aut qui se ingenuum ait. (114. Si prius fiat, et hic in probando deficiat, tantum pronuntiatur non probatum esse, quod probandum erat, et servum non videri; l. 27, § 1, ff. *De liberal. caus.* et hæc sententia aliis non præjudicat, quia non de jure et statu ipsius servi, sed tantum de jure actoris pronuntiatur. (115. Si vero posterius contingat, quod contingere potest, si volens onus probandi subierit, leg. 14, ff. *De probat.*, (116. jam super ipsius statu, directo pronuntiatur; et ita si ingenuus pronuntiatus fuit, hæc sententia etiam prodest contra omnes, qui talem libertinum esse asserere contendunt. Sunt enim hic verba sententiæ concepta in rem, sive de ipso statu, et ita semel status personæ per rem iudicatam adjudicandus est. Confer Hartmann., *Pistor.*, part. iv, qu. 29, fer. per tot; Carpov., *Jurisprud. forens.*, part. 1, constit. 26, def. 16, n. 1 et 2. (117. Necesse vero est in hoc casu, ut sententia de statu sit lata contra dominum vel patronum, eumque præsentem, non vero ex contumacia absentem. Leg. 17, § 1, ff. *De inoffic. testam.*

(118. Eodem ex fundamento sententia pro filiatione lata contra omnes prodest. L. 1, § final., ff. *De agnoscend. liber.* (119. Intellege tamen, si quæstio filiationis cum ipso patre, qui est unicus contradicitor legitimus, non cum aliquo de agnatis fuerit. Consule Alexandr., in l. penult., n. 69, ff. *De re judicat.*

(120. Idem dicendum de sententia lata pro uxore, modo maritus fuerit contradicitor.

(121. Quatenus vero sententia in causa notabili lata jus faciat vide Tiraquell., *De nobilit.*, cap. 37, n. 2, et plur. seq., ubi etiam disserit de viribus contra tertium sententiæ pro cive late.

(122. Gravior quæstio est, an sententia lata super primogenitura vel majoratu, et bonis inde dependentibus, noceat ei, qui post illum, qui haec in lite fuit, sed superatus est, ad illam primogenituram aspirare potest. Affirmant per text. in l. 44, ff. *De re judicat.*; Brunemann., in d. l. 44, n. 1; Hartmann., *Pistor.*, part. iv, q. 29; Molin.,

De Primogen. Hispan., lib. iv, c. 8, n. 3; Carpov., part. iii, dec. 254, n. 13.

(123. De sententia contra Vassallum lata, an noceat domino, adi Rasenthal., *De feud.*, c. 9, membr. 1, conclus. 23, n. 4 et plur. sequent.

(124. Et de sententia lata de statu subjectionis, an prosit contra omnes consule Zassium, ad leg. 65, ff. *De re judic.*; Fail., lib. 1, observ. 70, n. final.

(125. Sed hæc quidem de statu personæ sufficiunt. Transeo nunc ad jura rerum, ubi itidem sæpe contingit rem iudicatam jus facere inter alios, quam qui in lite fuere, et quidem potissimum inter illos, qui ab eo, qui victus est, causam habent. (126. Tales sunt legatarii; iis porro nocet sententia lata contra hæredem super testamento, dummodo tamen bona fide ab hærede actum sit, hæres sit victus propterea quod testamentum valere non potuerit, et per incuriam iudicis victus non fuerit, et demum ab ipsis legatariis non fuerit appellatum. Diversum autem est, si sententia contra unum ex legatariis lata sit, nam aliis non nocet.

(127. Tales etiam sunt substituti. Hinc sententia contra hæredem lata substitutis nocet. Aliter se res habet quoad sententiam latam contra cohæredem. Hæc enim alii cohæredi, qui in iudicio non fuit, non nocet. Confer Zassium, in l. 63, n. 17, ff. *De re judicat.*

(128. Ex alio etiam fundamento sententia inter alios jus facit. Hoc suppeditat jurisconsultus in citata l. 63, ff. *De re judic.*, scilicet: « Cum quis de ea re, cujus actio vel defensio primum sibi competit, sequentem agere patitur. » Subjungit jurisconsultus exemplum: « Veluti si creditor experiri passus sit debitorem de proprietate pignoris. » Sed vide Zassium, in dict. l. 63, qui n. 24 et plur. sequent. materiam illustrat.

(129. Pariter contra alios etiam sententia prodest, si per necessariam consequentiam sit etiam juris tertii exclusiva. (130. Desumi exemplum potest ex l. 1, § final., ff. *De carbon. edict.*, quando scilicet mater subjecti partus arguitur, ubi primum quæritur, an propter statum pueri quæstio differenda sit? (131. Quod negatur, quia principaliter hic mater rea postulatur, et sic recenti tempore, hoc est de præsentem potest cognitio fieri, et porro jurisconsultus subjicit: « Et post eventum cognitionis si suppositum partum apparuerit, actiones hæreditariæ puero denegandæ sunt, omniaque perinde habenda, atque si hæres scriptus non fuisset. »

(132. Revera enim ex errore scriptus est a patre putativo hæres, qui si partum suppositum esse cognovisset, nunquam eum scripsisset hæredem. Neque obstat, quod sententia principaliter contra matrem sit lata. (133. Nam cum ipsa de crimine suppositi partus satis convicta sit, necessario hæc sententia est exclusiva juris ipsius pueri, cum nullum jus possit habere, ubi constat per sententiam eum esse suppositum: Vide verb. *TRANSITUS sententiæ in rem iudicatam*. Ubi etiam *De condemnatione in expensis*, Ed. Cas.

SUMMARIUM.

1. Nomen sepulture sumi potest tribus modis, qui assignantur. — 2. Sepultura sumpta proprie pro loco et situ in quo cadavera sepeliuntur, quid sit? — 3. Locus sepulture regulariter olim erat atrium, aut porticus, vel aliud terræ spatium prope ecclesiam, quod hodie cæmeterium communiter appellatur. — 4. Cæmeterium quid significet et importet? — 5. Quamvis olim in solis cæmeteriis, et nullus in ecclesiis sepeliri posset, tamen hodie et jure, et consuetudine omnes fideles in ecclesiis sepeliuntur. — 6. Quilibet a jure non impeditus potest sibi eligere sepulturam in qualibet ecclesia ad id jus habente, et ubi quisque sepeliri debeat, ubi etiam de regularibus decedentibus extra conventum ad n. 55. — 57. Papa decedens Romæ sine electione sepulture sepelitur in Basilica Vaticana, in qua non possunt sepeliri, nisi Summi Pontifices et personæ regales. — 58. Si autem contingeret Pontificem sine electione sepulture decedere extra Urbem, nec posset commode transferri ad ipsum, esset sepeliendus in Ecclesia cathedrali loci, ubi decedit. — 59. Papa potest sibi eligere sepulturam in quacunque sibi benevis ecclesia, etiam regularium. — 60. Cardinales decedentes in Urbe, si non habeant sepulcrum majorum; nec sibi elegerint sepulturam, sepeliendi sunt in ecclesia proprii tituli, et non in parochia. — 61. Et hoc etiam si cardinales non resideant in titulo. — 62. Et hoc procedit etiam in cardinalibus regularibus: — 63. Cardinales decedentes extra Urbem sine electione sepulture, sepeliri debent in ecclesia majori loci, ubi decedunt. — 64. Hoc tamen intelligendum venit, nisi in vita se subjecerint specialiter alicui parochiæ. — 65. Debetur tamen semper quarta canonice Ecclesiæ parochiali. — 66. Episcopi ubi sint sepeliendi? — 67. Canonici cathedralis ubi sint tumulandi? — 68. Clerici et presbyteri ubi sint sepeliendi? ad num. 70. — 71. Clerici beneficiati cum onere residendi, tam simplices quam curati ubi sepeliri debeant? ad num. 72. — 73. Uxor licet sit sub potestate viri, potest libere sine ejus licentia eligere sibi sepulturam. — 74. Si uxor decedat, non electa sibi sepultura, ubi sit sepelienda, usque ad n. 80. — 81. Si uxor moriatur prægnans ubi sit sepeliendus fœtus. — 82. An sicuti uxor sepeliri debet in sepulcro mariti, ita etiam maritus decedens, non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in sepulcro uxoris? ad n. 85. — 84. Habitans in confinio duarum parochialium, ubi sit sepeliendus. — 85. Si quis in testamento disposerit, ut sepeliatur in parochia, in qua fuerit moriens, et casu moriatur in aliena parochia, non debet sepeliri in aliena parochia, sed in parochia proprii sui domicili. — 86. Eligere sepulturam sibi benevisam potest quilibet, sive masculus, sive femina, dummodo habeat debitam aetatem, et a jure non prohibeatur. — 87. Et potest quis libere sibi eligere sepulturam etiam extra propriam patriam in diversa et remota provincia, etiam aliena. — 88. Si quis autem eligat sepeliri in sepultura aliena, non potest ibi sepeliri, nisi consentientibus patronis sepulture.

(1. Nomen sepulture tribus modis sumi potest. Primo, pro jure sepeliendi corpora, seu cadavera mortuorum. Arg. Clementin. *Dudum 2*, De sepulturis, cum similibus. Secundo, pro actu, ritu seu officio, quod in associandis ad sepulturam, et sepeliendis cadaveribus mortuorum impenditur. C. *Dictum 105*, caus. 1, qu. 1, c. *Præcipiendum 5*, caus. 113, q. 2, cum similibus. Tertio, pro ipso loco et situ, in quo cadavera mortuorum sepeliuntur. C. *Aurum 69*, caus.

— 89. Qui ad hunc effectum dicantur patroni? — 90. Exstinctis patronis omnibus, tunc rectores Ecclesiæ seu regulares possunt non solum mortuos ibi sepelire, sed etiam sepulturam alteri concedere. — 91. Item possunt rectores ecclesiæ, seu regulares in patronatis sepulcris aliquem alium tumulare interveniente causa necessitatis. — 92. Si plures sint patroni, debent omnes consentire, nec sufficit consensus majoris partis. — 93. Decedens facta electione sepulture alterius patroni, si patronus deneget consensum, dicitur decedere non facta electione. — 94. Filiusfamilias, dummodo pubes sit, et sit sui juris, potest etiam sine consensu patris sibi libere eligere sepulturam. — 95. Sic etiam potest servus. — 96. Item sepulturam sibi eligere possunt novitii, etiam extra monasterium et in alia ecclesia. — 97. Religiosi tamen professi in claustris morientes non possunt sibi eligere sepulturam. — 98. Et hoc procedit etiam de prælatiis et superioribus regularibus. — 99. Impuberes nequeunt sibi eligere sepulturam. — 100. Pro impubere nequeunte sibi eligere sepulturam, potest ipsi illam eligere pater, ubi ad id adest legitima consuetudo. — 101. Secus autem, ubi non adest talis consuetudo. — 102. Non desunt tamen magni nominis doctores defendentes, quod hodie generaliter, et nulla attenta consuetudine, permittitur parentibus eligere sepulturam filio impuberi in quacunque ecclesia, etiam regularium. — 103. Si adsit sepulcrum majorum in ecclesia regularium, tunc, præcisa consuetudine, debent impuberes ibi sepeliri. — 104. Facultas permissa patri eligendi sepulturam filio impuberi non potest exerceri post mortem ipsius filii, sed solum pendente ipsius vita. — 105. Deficiente patre, potest mater eligere sepulturam pro filio impubere, si ad id concurrat legitima consuetudo, secus non. — 106. Talis consuetudo pro eligenda sepultura filiis impuberibus debet esse generalis in loco vel civitate, alias consuetudo particularis alienius ecclesiæ ceteris ejusdem Urbis ecclesiis præjudicaret. — 107. Item talis consuetudo debet esse legitime præscripta, quæ ad patrem sufficit decennalis, et quoad matrem requiritur quadragenaria. — 108. Et hæc quadragenaria consuetudo introduci potest etiam favore avorum, fratrum, consanguineorum, affinium, tutorum, administratorum, maritorum, uxorum, dominorum et amicorum. — 109. Impuberes decedentes non sibi electa sepultura, a prædictis ad id facultatem habentibus ratione legitime consuetudinis, sepeliendi sunt in sepulcro majorum, si habeant, vel si non habeant, in propria parochiali. — 110. Electio sepulture probari debet, et qualis probatio sufficiat. — 111. Electio sepulture potest variari toties quoties eligenti videbitur usque ad finem vite. — 112. Et hæc revocatio seu variatio potest fieri non solum expresse, sed etiam tacite per secundam electionem. — 113. Electio sepulture semel legitime facta, si non revocetur, perseverat usque ad finem vite. — 114. In materia electionis sepulture valde notanda sunt responsa sacre congregationis Concilii, quæ hic afferuntur cum aliis notandis ad n. 218.

12, q. 2, c. *Fraternitatem 3*, De sepulturis et de sepultura hoc tertio modo sumpta erit sermo.

(2. Sepultura igitur hoc tertio modo accepta, est locus auctoritate episcopi benedictus, in quo cadavera Catholicorum pie decedentium sepeliuntur. Sic in re communis.

(3. Locus sepulture regulariter olim erat atrium, aut porticus, vel aliud terræ spatium prope ecclesiam, quod hodie cæmeterium appellatur, textu expresso in cit. c. *Præci-*

piendum 15, caus. 13, qu. 2, ibi: « Præcipiendum est etiam secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, porticu, vel in exedris ecclesiae (52). »

(4. Cœmeterium autem Græce significat idem ac Latine dormitorium, eo quia ibi requiescunt corpora Catholicorum, qui ratione fidei infallibilis finaliter resurgendi, non tam mortui ibi jacere, quam dormire dicuntur, Joan. cap. xi, n. 11, ibi: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum.* Et Epist. I ad Thessalonicen. c. iv, n. 12, ibi: *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus; quem textum sic exponit S. Hieronymus dicens: « Eos dormientes appellari, quia certum est eos resurrecturos. »*

(5. Quamvis tamen olim in solis cœmeteriis, et nullus in ecclesia sepeliri posset, ut

(52) Concilium Nannetense cap. 6 ita edicit: « Prohibendum etiam, secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut exedra ecclesiae. Infra ecclesiam vero, aut prope altare, ubi corpus Domini et sanguis conficitur, nullatenus habeant licentiam sepeliendi. » Tria igitur, inquit Baluzius ad *Reginon.*, lib. 1, cap. 125, ubi allatus Nannetensis canon redditur, extra ecclesiam loca erant, in quibus sepeliri poterant corpora mortuorum, atrium videlicet, porticus et exedra. Honorificentior autem sepulturae locus per illas tempestates erat in atrio, ante portam ecclesiae, id est, in nobilissima atrii parte. Adnotat enim Gretserus in libro secundo *De funere Christiano*, cap. 8, Constantinum M. sepeliri voluisse in vestibulo ecclesiae CP. eodemque loco deinceps sepultos esse plurimos imperatores ac Pontifices. De Ottone secundo imperatore testatur Leo Marsicanus in libro secundo *Chronici Casinensis*, c. 9, eum sepultum esse in atrio ecclesiae Beati Petri-apostoli. Et lib. iv, cap. 8, agens de Elgaita Roberti ducis uxore, ait, eam in ecclesiae paradiso ante basilicam Petri apostoli tumulari voluisse. Sic antiquitus sepulera comitum Tolosonarum erant in atrio ecclesiae Sancti Saturnini, prope portam, ubi hactenus videntur, donec Urbani secundi auctoritate cœmeterium eorum constitutum est in atrio basilicæ deauratæ. Sic etiam vestibulum ecclesiae Tutelensis erat olim locus destinatus sepeliendis vicecomitum Turenensium corporibus, quorum erant ampla ac magnifica in ecclesiam illam merita, ac beneficia, eorumque sepulcra etiamnum manent post tot sæcula. Alicubi tamen porticus erat honorificentissimus sepulturae locus. Legimus enim apud Bedam, in lib. ii *Hist. eccl. Angl.*, c. 3, Augustinum et ceteros Cantuarienses archiepiscopos in porticu Cantuariensis ecclesiae sepultos fuisse, donec necessarium fuit eos sepeliri intra ecclesiam, qui porticus illa plures capere non poterat. Præter atrium illud, quod erat ante principalem portam ecclesiae, in quo viri principes sepeliebantur, aliud atrium erat, in quo sepeliebantur omnis conditionis homines. Erat autem atrium illud proprie cœmeterium. Vetus charta Archambaldi vicecomitis Combornensis pro monasterio Tutalensi. Hoc autem ipse Cancellinus de Petrabuferia postea devote adimplevit ad ostium cœmeterii Sancti Martini, quod est ante portam ecclesiae Sancti Martini Juliani.

(53) Ambrosius, inquit Dungalus diaconus *contr. Claud. Taurin. suum fratrem Satyrum*, quem nimium dilexerat, juxta sanctum martyrem Victorem sepelivit, ..., cujus epitaphium hoc datur tetras

« ho :
Urbanio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad lavam detulit Ambrosius.

patet ex cit. cap. *Præcipiendum 15*, caus. 13, q. 2, et cap. *Nullus 18*. ead. caus. 13, quæst. 2, ibi: « Nullus mortuus intra ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, aut abbates, aut digni presbyteri, aut fideles laici, » id est fama sanctitatis et miraculis clari, ut explicat Glossa, *ibid.*, verb. *Fideles*; tamen hodie, et jure, et consuetudine introductum est, ut omnes Catholici, sive clerici, sive laici in ecclesiis sepeliantur. Cap. *Fraternitatem 3*, cap. *Ex parte 5*, et cap. *Cum liberum 6*, De sepulturis, juncto c. *Cum gravia 17*, caus. 13, quæst. 2, ubi additur ratio, ibi: « Prodest mortuis, si in ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulturam aspiciunt, recordantur et pro eis Domino preces fundunt (53). »

(6. Quilibet a jure non impeditus potest

*Hæc meriti merces, ut sacris sanguinis humer
Finitimas penetrans alluat exuvias.*

Sanctus vero Maximus, in *Nat. SS. Mart. Taurin.*, « ideo, inquit, hoc a majoribus provisum est, ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat; dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiatur. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis attamen socii sanctitatis: ait enim Dominus Petro: *Tu es Petrus*, etc. Si ergo apostolo et martyri Petro inferni porta non pravelet, quisquis sociatur martyri, Tartaro non tenetur; martyres enim inferni porta non possidet, etc. » Disputat egregie de eodem more D. Augustinus hac occasione. Cum quædam Flora religiosissima femina *materno et pio affectu* optaret, ut Cynegii filii sui corpus in beati Felicis Nolanensis confessoris basilica tumlaretur, S. Paulinus Nolanus episcopus consulit per litteras Augustinum, « utrum prosit alicui post mortem, quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepeliatur? » Et adjunxit, « videri sibi non esse inanes motus animarum religiosorum atque fidelium pro suis ista curantur. » S. Augustinus in hunc modum respondit: « Profecto etiam provisum sepeliendis corporibus apud memoriam sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ est erga funera suorum. Quoniam si nonnulla religio est, ut sepeliantur, non potest nulla esse quando, ubi sepeliantur, attenditur. Sed cum talia vivorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus appareat, non video quæ sint adjumenta mortuorum; nisi ad hoc, ut dum recolunt, ubi sunt posita eorum, quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos, orando commendent. » Et quibusdam interjectis: « Cum itaque recolit animus, ubi sepultum sit charissimi corpus, et occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui cum defunctis a fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. » Addit vero capite sequenti, illud ipsum matris desiderium, ex fide profectum, supplicationem quamdam fuisse filio profuturam. « Cum ergo, inquit, fidelis mater fidelis defuncti corpus desideravit in Basilicam martyris poni, si quidem credidit, ejus animam meritis martyris adjuvari; hoc quod ita credidit, supplicatio quædam fuit, et hæc profuit, si quid profuit. » Laudatam D. Augustini sententiam explanat et ampliat S. Julianus archiepiscopus Toletanus (qui claruit anno 680) his verbis: « Plerique fidelium cum fidei præcedentis

sibi eligere sepulturam in qualibet ecclesia ad id jus habente. *Communis*, per claros textus in cap. *Nos instituta 1*, cap. *Fraternitatem 3*, cap. *Cum liberum 6*, cap. *Cum super 8*, cap. *In nostra 10*, De sepulturis, cap. *Animarum 1*, et c. *Cum quis 2*, De sepulturis in 6.

(7. Et si cadaver illius, qui elegit sepulturam in aliqua ecclesia, etiam regulari, et per vim parochi, aut alterius, non ibi sed alibi sepeliatur, est restituendum simul cum oblationibus ecclesiae electæ, textu expresso in c. *Ex parte 5*, c. *Cum liberum 6*, De sepulturis, c. *Animarum 2*, eod. in 6. Et sic pluries decrevit sacr. cong. in facti contingentiâ, ut videri potest verb. *Cadaver*, n. 11, ubi referuntur decreta una cum confirmatione facta ab Alexandro VII, constitut. incip. *Alias pro parte*.

(8. Qui sibi sepulturam non elegit, sepeliri debet in sepulcro majorum suorum, textu expresso in c. *Nos instituta 1*, De sepulturis, ibi: « Statuimus, unumquemque in majorum suorum sepulcris jacere, ut patriarcharum exitus docet, » c. *Cum quis 2*, et cap. *Is qui 3*, eod. in 6, ibi: « Is qui... non electa sepultura decedit... in ea, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura existit, sepeliri debet, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari. »

(9. Majorum nomine ad hunc effectum veniunt pater, avus, proavus, et alii ascendentes in linea recta, L. *Juris consultus 10*, ff. *De gradibus*, l. *Appellatione 51*, ff. *De verb. significat.*; Panimol., decis. 5, adnot. 3, n. 15; Barbos, *De offic. et potest. parochi*, cap. 26, n. 32, *Decretal.*, tit. 28, n. 10 et alii passim.

(10. Si majores non in uno et eodem sepulcro sepulti fuerint, sed in diversis, verb. grat. avus, proavus, abavus, alique omnes majores in uno, pater vero in alio, tunc secundum Glossam, in cap. *Is qui 3*, verb. *Antiquo*, De sepulturis in 6; Engel., l. iii *Decretal.*, tit. 28, n. 6; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 41; Silvester, verb. *Sepultura*, q. 8, et alios, filius decedens, non electa sepultura, sepeliri debet in sepulcro majorum et non patris, nisi pater pro se et posteris aliam sepulturam expresse elegisset. Et id tenent et probant ex quo semper in jure fiat locutio in plurali, ut patet, in cap. *Nos instituta 1*, De sepulturis, ibi: « In majorum suorum sepulcris. » C. *Fraternitatem 3*, eod., ibi: « Patrum, aliorumque parentum sepulturis, » quo nomine etiam majores veniunt. Cit. l. *Jurisconsultus 10*, § 8, ff. *De gradibus affinit.*, ibi: « Parentes usque ad tritavum nominantur. » Et c. *Cum quis 2*, De sepulturis in 6, ibi: « Cujus majores sunt soliti ab antiquo in aliqua ecclesia sepeliri. » C.

affectu, aut sua, aut suorum corpora apud memorias martyrum præcipiunt tumulari; non puto infructuosum esse, quod creditur, aut inane, quod fideliter de divino auxilio speratur, tantum si non sint in hujusmodi, qui in ecclesiis sepeliuntur, insolubiles culpæ (hoc est lethales culpæ in vita non expiatae per penitentiam) quæ eos non sinant, etiam

Is qui 3, eod. in 6, ibi: « In qua majorum ipsius ab antiquo sepultura existit, sepeliri debet. » Hæc autem jura magis verificantur, si in dicto casu filius non in sepulcro solius patris, sed in sepulcro majorum antecedentium sepeliatur, et ex verbis patet, adeoque, etc.

(11. Multi autem alii tenent contrarium, nempe quod filius decedens, non electa sepultura, debeat in tali casu sepeliri, non in sepulcro omnium majorum, sed in sepulcro patris; dummodo pater ex propria electione, et non casu, vel ex aliquo accidenti sepultus fuerit in sepultura diversa ab antiqua majorum. Sic late Oldrad., cons. 23, n. 2, vers. *Contrarium* usque ad fin.; abbas, in cit. c. *Nos instituta 1*, n. 5, De sepulturis; Sperell., t. I, dec. 88, n. 9, cum aliis ibi relatis; Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, c. 27, n. 32, et lib. ii *Jur. eccl. univers.*, cap. 10, n. 32; Medic., *De sepultur.*, qu. 7, n. 22, part. i; Panimol., decis. 5, adnot. 3, n. 19, ubi dicit, quod hæc est receptior sententia, Ventriglia, part. i, adnot. 32, § unic. 24; Matthæucc., *Official. cur. quoad sepulturas*, cap. 48, n. 23; Zechius, *De republic. ecclesiast.*, lib. i, cap. 23, *De parochia*, num. 27, vers. *Fallit*; cardin. Petra, t. 11. *Commentar. in constit. 2 Honorii III*, n. 23; Pirrhing, lib. iii *Decretal.*, tit. 28, n. 4, et alii, quorum tamen varii, ut card. Petra, Barbosa, Matthæucc. et alii, ut eos legenti patet, id solum affirmant, quando proavus, abavus, et alii ascendentes majores sepulti sunt in uno sepulcro, avus vero, et pater sepulti sunt in alio, et non quando omnes majores sepulti sunt in uno, et solus pater in alio. Sicque non videntur dissentire a doctoribus primæ sententiæ relatis supra n. 10.

(12. Et revera si abavus et proavus sepulti sint in uno sepulcro, avus vero et pater in alio filius decedens, non electa sepultura, sepeliendus est cum patre et avo. Pirrhing, *loco cit.*, n. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 11; Engel., *loco cit.*, n. 6; Petra, *loco cit.*, n. 23; Matthæucc., *loco cit.*, n. 23; Oldrad., cit. consil. 23; Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, cap. 26, n. 32, et in cap. *Nos instituta 1*, n. 2, De sepulturis; Silvester, *loco cit.*, q. 8, et alii; et ratio est, quia sepultura inter mortuos comparatur domicilio inter vivos; atqui filius sequitur originem et domicilium proximorum parentum seu majorum, Patris scilicet et avi, et non remotiorum ascendentium. L. *Assumptio 6*, § *Filius*, ff. *Ad municip.*, cap. *Fraternitatem 3*, De sepulturis ergo, etc. Tum quia, in dicto casu æque satisfiit juris textibus, ac si in sepulcro remotiorum sepeliretur. (13. Si autem pater pro se et posteris aliam sepulturam ele-

oblatis Deo sacrificiis, adjuvari post mortem. Ac proinde si fides illa habere meritum creditur, qua quisquis ille impletus pro defuncto suo in locis martyrum tumulato deprecatur (ut Augustinus) quanto magis illa fides spei suæ fructum consequetur, quæ in vivente adhuc remediabilem sui cadaveris providet locum? »

gisset expresse, tunc utique filius, ut dictum fuit *supra* n. 10, deberet sepeliri in sepultura patris. Arg. cap. *Unaquaque* 3, § *Item in novo*, caus. 13, q. 2, quia si posterius aliam sepulturam non eligant, in similem patris electionem consentire, sicque ipsis sepulturam tacite elegerint censentur. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 11, et a fortiori omnes citati doctores *supra* n. 11.

(14. Si adsit sepulcrum gentilium, seu familiare, et sepulcrum hereditarium, attendendum est primum, et postea secundum, cum etiam hoc dicatur aliquo modo sepulcrum majorum. Sic cum aliis card. Petra, *cit. t. II Commentar. in constitut. 2 Honorii III*, sect. unic., n. 35; Matthæucc., *loc. cit.*, n. 23, vers. *Sicut*; Passerin., *De statu homin.*, t. II, quæst. 187, art. 4, inspect. 4, cap. 2, et alii.

(15. Etiam infantes, quamvis juxta Rituale Romanum, tit. *De exsequiis pueror.*, debeant sepeliri in sepulcro separato, adhuc tamen sepeliri possunt in sepulcro majorum. Sic expresse decrevit sacra congreg. Episc. et Regul., in *Ausculana* 21 Octobris 1616, apud Barbosam, *De offic. et potest. parochi*, c. 26, n. 8; card. Petra, *loc. cit.*, n. 26; Panimol., *loc. cit.*, n. 18; Sperell., *cit. decis.* 88 in fine, et novissime sacra congreg. Concil., in *Novarien. Funerum* 15 Mart. 1704, in respons. ad primum. *Vide* verb. QUARTA FUNERALIS, n. 32, ubi una cum aliis datur ad litteram decretum.

(16. Filii illegitimi et naturales sepeliendi sunt in sepulcro patris, nisi is in dignitate sit constitutus. Non item filii spurii, quia isti sepeliendi sunt in sepulcro matris, nisi sit femina illustris. Silvester, verb. *Sepultura*, qu. 8, dict. 4; Pirrhing, *loc. cit.*, sub. n. 4, et alii.

(17. Filii adoptivi et arrogati, si moriantur vivente patre, in cujus potestate erant, debent sepeliri in sepulcro ejusdem. Secus autem, si eo jam mortuo, decedant, quia tunc debent sepeliri in sepulcro patris naturalis, cum jam expiraverit in tali casu adoptio. Silvester, *loc. cit.*, dist. 4; Pirrhing., *loc. cit.*, sub. n. 4, et alii.

(18. Infantes expositi non in sepultura patris seu majorum, sed in sepultura hospitalium, in quibus exponuntur, sunt sepeliendi. Arg. cap. *Si a patre unic.* De infantibus expositis; Sebastianus Medices, p. 1 *De sepultura*, quæst. 7, n. 23; Ventrigl., *loc. cit.*, num. 25, et alii. Si autem tales infantes non essent expositi in hospitalibus nec hospitalium expensis alerentur, essent sepeliendi in parochia, in qua contingeret eos decedere, quia decedentes, non electa sepultura, sepeliendi sunt enim in sua respectiva ecclesia parochiali. Cap. *Ex parte* 5, cap. *Cum sit liberum*, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, cum similibus.

(19. Supradicta regula, quod decedens sine electione sepulturæ sepeliendus sit in sepulcro majorum, non procedit e converso, taliter quod, si moriatur pater, vel avus, sepeliendus sit in sepulcro filii, vel nepotis; et ratio est, quia ascendentes non sequun-

tur sepulcrum descendendum nec transversalium, nisi sint hæredes, et sepultura sit hæreditaria, nec sit ibi facta electio. Lavorius, *Variar. lucubrat.*, tit. 2, c. 11, n. 121; Sebastianus Medices, *loc. cit.*, n. 24; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 24, et alii.

(20. Si quis nullam habeat sepulturam majorum, nec aliquam sibi elegerit, sepeliendus est in propria parochia, ubi sacramenta suscepit. *Communis*, per text. in cap. *Ex parte* 5, et cap. *In nostra* 10, De sepultura, cap. *Animarum* 1, et cap. *Is qui* 3, eod. in 6. (21. Et nullam habere sepulturam majorum censetur etiam filius ille, cujus majores singuli sepulti sunt in diversis sepulcris, nempe proavus in uno, avus in alio, pater in altero, cum ad hunc effectum requiratur concursus plurimorum, qui ab antiquo in eodem sepulcro sepulti fuerint, quia ab uno solo denominari non potest sepulcrum majorum; unde, cessante hoc casu majorum sepulcro, talis filius sepeliendus erit in sua parochia. Sic Ancharanus, in cap. *Is qui*, sub. n. 4, De sepultura, in 6; Silvest., verb. *Sepultura*, sub. n. 8; Barbosa, in cap. *Nos instituta* 1, n. 2, De sepultura; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 11 in fin.; Engel., *loc. cit.*, n. 6, et alii; contrarium tamen, nempe quod hoc casu sit attendendum sepulcrum patris, tenet abbas, in cap. 1, n. 6, Extrav. *De sepulturis*, et ita de consuetudine servari testatur Lavorius, *Variar. lucubration.*, lit. 2, cap. 11, n. 113; Sperell., tom. I, dec. 88, n. 10. At isti intelligendi sunt in casu, quo pater pro se et posteris sepulturam elegerit, juxta dicta *supra* n. 13. Alias non esset, qui non haberet sepulcrum majorum, cum quilibet habeat suum patrem in aliquo sepulcro sepultum loquendo de patribus jam suis filiis præmortuis.

(22. Peregrini pertranseuntes et viatores, nisi sepulturam elegerint, sepeliendi sunt in cathedrali; advenæ autem seu exteri, et peregrini habentes per aliquod tempus habitationem in aliqua parochia, sepeliendi sunt in ipsa. Sic sac. congreg. Episc. et Regular., in *Fulginate*. 3 Julii 1592, rescribens episcopo: « Etiam circumscripta consuetudine, advenas et pertranseuntes cathedralibus, et reliquos in parochia, intra cujus fines obierint, si per aliquod tempus habitaverunt, esse sepeliendos. » Sperell., *decis.* 87, n. 14; Lavorius, *loc. cit.*, n. 144; card. Petra, tom. II *Comment. in constit. 9 Innocent. III*, sect. unic., num. 50; Matthæucc., *loc. cit.*, n. 12, et alii referentes dictam sacræ congregat. resolutionem; si autem adesset alibi legitima aliqua consuetudo, tam favore cathedralis quam parochi, esset servanda, ut concordant doctores apud Sperell., *loc. cit.*, num. 14; Panimol., *loc. cit.*, n. 43; card. Petra, *loc. cit.*, n. 50, arg. c. *Cum dilectus* 8, et c. *Cum tanto* 11, De consuetudine, l. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*.

(23. Studiosi, famuli conductitii, milites, officiales, alique similes conducentes domos ad aliquod tempus, seu alicubi habi-

tantes, si sepulturam non sibi elegerint, debent sepeliri in parochia, ubi sic habitabant et decesserunt. *Communis*, et servat recepta consuetudo, quæ non solum est in dubiis optima legum interpretis, *cit. l. Si de interpretatione* 39, ff. *De legibus*, cap. *Cum dilectus* 7, De consuetudine. Sed etiam claræ legi derogat; cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine. Miles tamen præsidarius sepeliri debet in parochia Arcis, ubi actualiter moratur, non autem in alia parochia ubi retinet domum apertam cum uxore et filiis. Sac. congreg. Concil., in *Romana* 17 Aug., apud Ursayam, in *Miscellaneo sacr. et profan.*, lit. M.

(24. Qui habet domicilium in civitate vel castro, et ad villam ruralem se transfert recreationis gratia, vel ut ruralia exercent, et inibi, non electa sepultura, nec habens sepulcrum majorum decedat, debet sepeliri in propria parochia civitatis vel castri, si absque periculo ad ipsam possit deferri, textu expresse in cap. *Is qui* 3, De sepulturis in 6, ibi: « Is qui habet domicilium in civitate vel castro, quando ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exercent in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem non in ecclesia dictæ villæ, sed in sua parochiali, vel in ea potius, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura existit, sepeliri debet, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari. »

(25. Qui autem habet domum hiemalem, v. gr. in civitate, et æstivam in rure, et sic æquali tempore, modo in una, modo in altera habitata seu moratur, sepeliendus est in parochia in qua decedit. Et ratio est, quia parificatur cum eo, qui in duobus locis æque principale domicilium habet, et sic efficitur utriusque parochiæ parochianus, adeoque sepeliendus est in parochia, in qua decedit, cum ipsa sit pro tunc vera ipsius parochia. Argument. cap. *Ex parte* 5, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, cap. *Animarum* 1, eod. in 6.

(26. Advenæ seu hospites, alique casu decedentes in regularium conventibus, nisi eligant ibidem sepulturam, sepeliendi sunt de jure communi in parochiali, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, ubi expresse cavetur non posse regulares sepelire nisi eos qui vere in suis ecclesiis sepulturam elegerint. Et ita censuit sacra congregatio Concilii, in *Ripana* 3 Februarii 1652, nempe non licere regularibus commoranti per aliquot dies in eorum conventu, ibique defuncto omnia sacramenta ministrare, et in eorum ecclesiis dare sepulturam sine licentia parochi, qui quarta funeralis debetur. Sic referunt Pignatell., tom. I, consult. 306, n. 1, cardin. Petra, tom. I. *Comment. in constit. 9 Innocentii III*, n. 49; et alii. Idem eadem sacra congregatio Concilii, in *Ravennaten.* 20 Januar. 1674, censuit: « Spectare ad parochos sepelire et ad proprias parochias deferre cadavera eorum, qui in monasterio recepti, sepultura non electa, decesserant. » Item eadem sacra congregatio Concilii, in *Gerunden.* 3 Februar. 1694. Expugnato enim a Gallis præsidio de Roses in eo-

dem vulneratus est Didacus Fonseca, qui hospitii causa se recipiens ad conventum S. P. Dominici Gerundæ, ibi parochus irrequisito, sacramentis munitis decessit et sepultus fuit. Qua de re proposito dubio: An dicto militi Fonsecæ potuerint religiosi, irrequisito parochus, sacramenta ministrare et corpus deponere, » sacra congregatio respondit: « Detur decretum in *Nullius* 19 Septemb. 1637, tenoris sequentis: « Quidam miles occasione infirmitatis divertit in monasterium regularium, ibique ab eisdem sacramentum Eucharistiæ pro Viatico, et extremam unctionem recipit, et exinde obiit, parochus intra cujus fines monasterium existit, reluctante. » Queritur: « An Administratio hujusmodi regularibus esset permessa? » Sacra congregatio Concilii respondit: « Non esse permissam. » card. Petra, tom. II *Comment. ad constitut. 9 Innocent. III*, sect. unic., n. 49; Pignatell., tom. I, consult. 306; Passerin., *De statib. hominum*, tom. II, pag. 187, art. 2, n. 229 et seq.; Bordon., *Oper. moral.*, tom. III, resolut. 51, num. 216; Matthæuccius, *Offic. curiæ quoad sepulturam*, c. 58, num. 14; Antonell., *De regimine Eccles.*, lib. 1, cap. 12, num. 11, vers. *Infertur tertio*, ubi sic expresse dicit: « Infertur tertio, eos qui hospitii causa recipiuntur in conventu regularium, ibique infirmantur et moriuntur, in parochiali ecclesia sepeliendos esse, » et sic alii.

(27. Oblati, donati seu tertiarii, atque etiam sæculares, qui regularibus deserviunt, et intra eorum monasteriorum septa ac domus resident, et sub eorum obedientia vivunt, licet non ratione voti, sed ratione servitutis, si inibi decedant, sunt ibi irrequisito parochus tumulandi; isti namque eximuntur a subjectione ordinariorum et parochorum, et gaudent privilegiis religiosorum, quibus inserviunt, quamvis salario sint stipendiati. *Vide* verb. APPROBATIO PRO CONFSSIONIBUS EXPEDIENDIS, art. 1, a num. 64, ubi fuit jure et ratione conclusum, posse regulares supradictorum omnium confessiones excipere cum sola approbatione sui prælati regularis sine approbatione episcopi: unde cum sepultura potissimum dependeat ab administratione sacramentorum, ut ponderavit Rota recent., part. XI, *decis.* 384, n. 9, et notant doctores communiter, si supradicti omnes recipiunt sacramenta independenter ab ordinario et parochus ab ipsis regularibus sepeliendi etiam sunt independenter ab ordinario et parochus in regularium ecclesia; et sic in terminis firmat card. Petra, *loc. cit.*, n. 42; card. de Luca, *De regularibus*, disc. 1, n. 50; Passerin., *cit. tom. II, De statib. homin.*, quæst. 187, art. 3, a n. 228; Matthæucc., *loc. cit.*, n. 15; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 21; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 9, et alii communiter.

(28. Secus autem sæculares illi, qui tantum ipsis monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de familia, nec continui commensales, et cum sæcularibus exteris extra monasteria habitant, et vivunt; isti enim,